



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Veritates Christianæ Qvæ Modvm Exhibent Benè Vivendi
Et Benè Moriendi**

Balde, Hendrik

Ipris, 1689

61. Cap. De æternitate pænarum apud inferos.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56447](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56447)

Temporalia gaudia futurorum semina sunt dolorum inquit *Magnus Guigo.* (a)

Hoc alitè menti imprime, & scito adamantè te duriorè esse, si his considerationibus non commovearis, si fædis voluptatibus, alijsque vitijs immerfus hærerè pergas, aut nisi indefesso studio virtutem colere incipias.

C A P U T L X I.

De aternitate pœnarum apud inferos.

Nemo in hac vitâ crebras & graves perferre valet pœnas, easque diuturnas.

Apud inferos autem & plurimos & atrocissimos damnati perferunt cruciatus, non tantùm diù, sed aternùm duraturos.

Dives Epulo à mille sexcentis, & ampliùs annis tartareo inclusus specu luget, ingemiscit ac plorat; suis tamen tot ferventissimis suspirijs ne vel unam aquæ guttam sibi hætenùs potuit impetrare. Ne tantillum quidem, tanto temporis intervallo, inter tot gemitus & tot ærumnas, quàm misera isthæc & infelix est vivendi ratio? quàm luctuosa facies?

Mille sexcenti, & ampliùs sunt anni

(a) *De tranquill.* c. 4

quibus

quibus *Iudas* nefarius proditor cū igne habitat devorante.

Quinque annorum millia præteriēre, quibus arsit *Cainus*, & etiā nūm ardet, at eheu! necdum tormentorum finis; sed donec erit *Deus*, tam diū & *Dives epulo*, & *Iudas* & *Cainus*, ceterique damnati torquentur ardoribus sempiternis.

Æternitas finem nescit, semper incipit, semper nova est, nunquam decrescit.

Deme æternitati tot annos, quot in arboribus virent folia, quot in mari sunt guttæ, quot per aërem volitant atomi, necdum finem habebit æternitas.

Mons vertice Cælum contingens, post decies millies, & centies decies millies centena annorum millia, in alium aliquando transferretur locum, licet una dumtaxat avicula singulis centenis annis non nisi unicam auferret arenulam: attamen æternitas ne minimā quidem ex parte tum esset diminuta.

Quin imò licet altissimus iste mons centies millies eo modo transferretur, æternitas tum solummodò quasi inciperet, nihil de pœnarum acerbitate esset sublatum; ignis æquè foret intensus, fœtor æquè gravis, ploratus æquè lamentabilis ac primo damnationis die.

H

Hoc

Hoc illud est, quod inferorum poenas reddit intolerabiles, hoc damnatis acerbissimos excutit gemitus; hoc facit, ut gravissimè sibi ipsis succenseant, indignantur, frendeant, vultuque ferarum more, memores, se peccati mortiferi fûgâ, exiguæ, brevis, foedæque voluptatis repudiatione, tantos, tamque diuturnos evadere potuisse cruciatus.

Mæror ipsorum, ut liquet, perquam acerbus est, sed eheu! nimium serus, ac proinde infructuosus.

Illi igitur sapiunt, qui, dum tempus habent, bonis operibus sedulò se totos dedunt. Illi prudentes sunt, qui horribiles illas poenas effugiunt, dum in eorum est potestate.

Tu quoque, dum tempus suppetit, maturum cape consilium: nam perysse semel, æternum est.

C A P V T L X I I .

D E C Æ L O .

Dictu facilius est, quid in Cælo non sit, quam quid ibi sit. Nulla profus est in cælo corporis infirmitas, nulla fames, nulla sitis, nullus æstus, nullum frigus,